



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola LIX. Gregorii Papae I. Ad Fantinvm Defensorem Panormitanvm. De  
synagogis Iudaeorum irrationabiliter occupatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA LIX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD FANTINVM DEFENSOREM PANORMITANVM.

De synagogis Iudæorum irrationabiliter occupatis.

*Gregorius Fantino defensori Panormitano.*

**A**NTE aliquantum tempus Victori fratri & coepiscopo nostro scripsimus, vt quoniam quidam Iudæorum data nobis petitione questi fuerunt, synagogas in ciuitate Panormitana positas cum hospitibus suis fuisse ab eo irrationabiliter occupatas, quousque causa, vtrum iuste factum esset, potuisset agnosci, ab eorum suspenderet se congregatione; ne forte in eorum sola voluntate versari præiudicium videretur. Et quidem nos prædictum fratrem nostrum incongrue aliquid egisse, sacerdotii eius respectus facile credere non permisit. Sed quia Salerio notario nostro, qui illic præfens postea inuentus est, renunciantem comperimus, nullam extitisse causam pro qua potuissent rationabiliter occupari, atque eas esse inconsulte ac temere consecratas, idcirco experientia tua præcipimus, vt quia quod semel consecratum est Iudæis vltra non valet restitui, quantum a filiis glorioso Venantio, Patricio & Urbicio abbate synagogæ ipsæ cum his hospitibus quæ sub ipsis sunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ibi coniunctis æstimatæ fuerint, studii tui sit, vt præfatus frater & coepiscopus noster dare precium debeat; quatenus hoc quod occupari fecit, in ius ecclesiæ ipsius valeat prouenire, & illi opprimi, aut aliquam pati iniusticiam nullo modo videantur. Codices vero vel ornamenta pariter ablata quærantur. Quæ si manifeste tulta sunt, & ipsa sine ambiguitate aliqua volumus restitui; quia sicut illis quidquam in synagogis suis facere, vt & ipsi prius scripsimus, vltra quam lege decretum est, non debet esse licentia, ita eis contra iustitiam & æquitatem nec præiudicium nec aliquod debet inferri dispendium.